EXTRAORDINARIÆ
SUPPLICATIONES UNIVERSITATIS.

NOS PETRUS FROMENTIN, Univerſi Studii Pariſienſis RECTOR, omnibus & ſingulis ejuſdem Univerſitatis Doctoribus, Magiſtris, Clientibus, & Adminiſtris, SALUTEM.

IN REGEM ſuum defixos jamdudum oculos tenebat Gallia, eoque, quo nunquam dulcius ſeſe ipſi obtulerat, ſpectaculo ſuaviſſimè fruebatur. Viderat nempè egregium PRINCIPEM in Campis primùm Belgicis nobiles colligentem lauros, urbeſque naturâ & arte munitiſſimas breviſſimo temporis ſpatio armis victricibus ſubigentem. Viderat, quod multò majus eſt ac jucundius, primo ſuo in urbes & caſtra adventu

omnium ſibi animos devincientem; ſplendidos Majeſtatis radios leni Popularitatis luce benè temperantem; in conſiliis capiendis Sapientiam, in periculis adeundis Fortitudinem, Amorem in Suos, in Hoſtes Clementiam & Humanitatem, cæteraſque Regias Virtutes plaudentium ac ſibi Regnoque certatim gratulantium populorum oculis explicantem Regem maximum rursùs videbat, novæ laudis deſiderio ſuccenſum, ac novos meditantem triumphos, ad hoſtem inopinatis ſucceſſibus elatum quantis poterat itineribus contendentem; & ab Lisâ ad Rhenum volantem novâ admiratione noviſque votis proſequebatur: cùm ecce graviſſimo repentè morbo correptus, curſu in medio gradum ſiſtere cogitur, & in ſummum vitæ diſcrimen adducitur. Ad tam ſubitum tamque feralem nuntium cùm omnes Galli, tum præſertim Regiæ hujus Urbis Cives cohorruêre; &, cùm in tam acerbo caſu unicum videretur perfugium Deus, in templa illicò incredibili frequentiâ confluere, aras dies noctéſque amplecti, votiſque ardentibus non ſine lacrymis divinam opem expoſcere. Nec fruſtrà. Preces noſtras ſupremus vitæ ac mortis arbiter benignis auribus excepit. Vivit LUDOVICUS, è tanto diſcrimine manifeſto ac ſingulari Dei beneficio liberatus, eoſque convaleſcendo lætitiæ ſenſus excitavit, qui vix eſſent credibiles, niſi omnia eſſent credibilia in ejus Regis periculo, quo nullus unquam populis carior extitit. In tanto civitatis ſine modo exultantis gaudio, Primogenitæ Regum noſtrorum Filiæ, quæ optimum Parentem ſibi redditum videt, minimè liberum eſt eos quos gerit animo ſenſus non exprómere, & ſuperfundenti ſe lætitiæ temperare. Atque ut ante omnia debitas Deo Immortali gratias rependamus, omnibus Doctoribus ac Magiſtris mandamus ac præcipimus, ut die Veneris undeci-

mo Septembris horâ ipsâ octavâ adſint apud Maturinenſes, ornati ut decet, inde poſt brevem orationem ad Ædem Deo Sacram ſub Invocatione SANCTI LUDOVICI in Collegio Mazarinæo quantâ fieri poterit celebritate & pompâ nobiſcum Proceſſuri, ab eâque, decantato poſt ſolemne Sacrum Hymno Euchariſtico *TE DEUM*, eodem ordine ac frequentiâ redituri.

Ut autem in lætitiæ tam legitimæ partem commiſſa nobis Juventus veniat, dilatis in dies à nobis indicendos cùm Ordinariis Supplicationibus Univerſitatis, tùm Præclaræ Facultatis Artium Comitiis, Inducias Academicas protrahi volumus ad diem Octobris decimum-nonum, quo die, pro more, Sacrum Spiritui Sancto celebrabitur, & ſolitæ inſtaurandis Scholis Conciones habebuntur.

Datum in Ædibus noſtris Mazarinæis, die Lunæ ſeptimo menſis Septembris, anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo-quarto.

Ex Typographiâ Thiboust, REGIS, nec-non Academiæ Pariſienſis Typographi, in Plateâ Cameracenſi.